

Consiliarij terrarum Prussiae Sigismun-  
do primo regi Poloniae.

Serenissime princeps, potentissime rex et domi-  
ne domine clementissime. Humillimam fide-  
litatis nostrae in gratiam sacrae maiestatis ve-  
strae commendationem.

Serenissime rex et domine domine clemen-  
tissime. In causa aggerum Fluvij Vistulae et  
eorum reparatione saepius iam sacram maiesta-  
tem vestram, quo illis maturius per eandem  
providere, ne quae damna ex eorum destru-  
ctione his terris et toti regno evenirent, nuni-  
tiis et literis nostris humillime scriptis com-  
monefecimus, quibus iam laudens, cum sacra  
maiestas vestra perspiciat, horum aggerum di-  
minutionem et interitum, clementer annuit, et  
in his harum terrarum comitiis motu pro-  
prio literas ad nos dedit, quibus nobis com-  
mittit et admonet, ut habita matura delibera-  
tione, super hac re, rationem aliquam inveni-  
amus, qua aggeres istos ita tueri et conser-  
vare liceat, ut nullum sit eis ab aquarum  
impetu periculum, pro qua quidem clementi  
propensione in harum terrarum sacrae maiesta-  
tis vestrae subditos, debitas sacrae maiestati ve-  
strae agimus gratias. Cum autem haec causa  
reparandorum aggerum non tantum commo-  
dum harum terrarum respiciat, sed multum

etiam



etiam, si reficiantur et integri conserventur ag-  
geres, universo regno, omnibusque aliis regni  
sacra maiestatis vestra dominis, quae fluvio  
Vistulae et eius usu minime carere possunt,  
conferat; nullum melius consilium et ratio-  
nem, qua tam necessario operi et restauratio-  
ni aggerum subveniri possit, invenire potui-  
mus eam, quam aliquoties iam unanimi om-  
nium consensu sacra maiestati vestrae hu-  
millime communicavimus, ut sacra maies-  
tas vestra nobis clementer concederet, quo  
communi tam regni, quam harum terrarum  
consensu accedente, libere aliquam pensio-  
nem, quae non vectigalis vocabulum, quod à  
privilegiarum nostrorum tenore abhorret, sed  
pecunia aggeraria nomen sortiretur, iis qui  
frumenta, cineres, ligna, lignorumque strues,  
et alias cuiuscunque generis res et merces  
per Vistulae flumen denavigant atque defluis-  
sant, imponere possemus, in quam si sacra  
maiestas vestra, quod fore non dubitamus, de-  
ementer consenserit, futurum est, ut universor-  
um, qui huius fluminis beneficio utuntur,  
ope et opera, tam ingens aggerum moles  
conservetur, et si quando necessitas postulabit,  
reparetur. Cum vero hic quem petimus, sacra  
maiestatis vestrae benignus consensus nobis per  
eandem significatus fuerit, et nobis manda-  
re ad certum annorum tempus dignabitur,  
tum demum omni diligenti studio et opera

in



257

in id incumbemus, ut talis pensio et pecunia  
aggeraria per nos inveniatur et constituatur,  
que nulli aliquod præiudicium vel gravame-  
n parcat, sed potius in universorum com-  
modum atque utilitatem constituta esse  
videatur. Quare humillime rogamus sacram  
maiestatem vestram, ut hoc nostrum consi-  
lium, quod pro communis reipublice con-  
servatione sacra maiestati vestre iam ali-  
quoties dedimus, in bonam partem clemen-  
ter accipere, et cum statibus atque ordinibus  
incliti regni in eum finem agere di-  
gnetur, nè se ad tam necessarium opus utili-  
ter constituendum, difficilis præstent aut oppo-  
nant, quod nisi fiat, alias rationes invenire  
non possumus, ut fundus Vistulæ navigabilis  
maneatur, et aggeres in utilitatem cum regni,  
tum harum terrarum sacra maiestatis vestre  
conservari possint. Cui nos cum omnibus  
fortunis nostris in gratiam et protectionem  
eiusdem sacra maiestatis vestre quam humil-  
lime commendamus, ipsam in plurimos vite  
annos florentem esse, vivere et regnare optan-  
tes, et à Deo ex animo precantes. Dato in  
communi harum terrarum conventu Grudenti-  
no die secunda Octobris, anno Domini mille-  
simo quingentesimo quadragésimo sexto. Eius-  
dem sacra maiestatis vestre humillimi subdi-  
ti prelati, palatini, castellani succamerarii,  
terre Prussie regii consilarii.



*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint handwritten text visible on the right edge of the page, possibly from an adjacent page.]*